Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2907
Quelle:
Copyright:

DCCCV.

79 Codex membraneus lat. Sec. XI. Folior. 177. f. charactere luculento ſcriptus, rubricis diſtinctus et optimi generis exhibet *Fol.* I. p. 1. Schema *Arboris Conſanguinitatis*, quale ſub ipſum inventae Typographiae tempus cum expoſitione *Job. Andreae* excuſum ſaepius occurrit.

Fol. eod. p. 2. ſequitur Homilia ſive *Admonitio* ad Clerum hoc initio: *Fratres, Presbyteri et Sacerdotes Domini. Cooperatores Ordinis noſtri eſtis. Nos quidem quamuis indigni locum aaron tenemus* &c. Admonitio haec in Synodis ab ipſo Epiſcopo, aut Diacono praelegenda typis primum comparuit in fronte *Decreti Burchardi* Ep. Wormatienſis *Colon.* 1548. f. inde in calce *Apologiae Baronianae Jac. Gretſeri Ingolſt.* 1610. ſubminiſtrante *M. Velſero*, et in *Sev. Binii* ſecunda *Concilior.* editione, *Colon.* 1618. T. IX. p. 803. In edit. *Concilior. Phil. Labbei Pariſ.* 1671. T. VIII. *col.* 33. inſcribitur ex Cod. Vaticano *Homilia Leonis Papae* IV. eodemque anno edita eſt *ibid.* ad calcem *Reginonis* a *Steph. Baluzio* inter *Acta vetera* n. 2. in 8. ex vetuſtiſſimo Cod. Rivipullenſi et altero ſuo. Denique ex Cod. Nereshemienſi ſcripto anno MIX. eam exhibet poſt *Velſerum J. Harduinus Concilior.* T. VI. P. 1. *col.* 783. *Pariſ.* 1714. f. Aetatem illius quod adtinet, contra *Codicem Vatic.* et *Velſerum*, qui eam *Udalrico* II. Epiſcopo Auguſt. adtribuerat, contendit *Baluzius* in *not.* ad *Reginonem* p. 534. utroque antiquiorem, et ad *Bonifacii* Archiepiſcopi Mogunt. tempora, id eſt, Seculum VIII. referendam, atque deinceps pro varia eccleſiarum conſuetudine et populorum moribus auctam, mutatamve fuiſſe. Id, quod vel e noſtro Exemplari liquet, in quo poſt illa verba: *Criſma ſemper ſub ſera ſit. aut ſub ſigillo propter quosdam infideles*, ſtatim clauſula ſequitur: *Volumus autem fratres kariſſimi — per omnia ſecula ſeculorum. Amen.* Et dein reſumitur: *De miſterio etiam uobis commiſſo uos ammonere curamus* &c. finiturque: *ad uitam ducere. et chriſto repreſentare.*

Fol. 4. ſub epigraphe miniata: *In Natale Sancti Galli*, habentur de eo *Lectiones* VIII. ex ejus vita a *Walafrido Strabo* conſcripta depromtae, quae apud *Surium* T. V. p. 809. *Caput* I. II. III. et initium IV. úsque ad ea verba: *demerſi. in lacum*, conſtituunt.

Fol. 5. p. 2. *Lectiones* totidem: *In natale ſancte cecilie virginis*, decerptae ex ejus vita autore *Simeone Metaphraſte*, quam exhibet *Surius* T. VI. p. 505. Incipiunt: *Virgo clariſſima cecilia. abſconditum ſemper euangelium* &c. Finiunt: *habeo eius ſecreta que perferam.* Phraſis tamen ſaepe differt a Suriana.

Fol. 6. *Lectiones* totidem inſcriptae: *Paſſio ſancti Andrei apoſtoli*, ſunt initium Paſſionis a Presbyteris et Diaconis Eccleſiarum Acha-